Ordinationes fundationis Collegii ... Premensi (1774)

# JN NOMINE DOMINI AMEN.

# ORDINATIONES FUNDATIONIS COLLEGII SCHOLARUM ALUMNORUM,

PROFESSORUM & STUDENTIUM

PRO

SCHOLASTERIA

TREMESNENSI

1774.

Typis Clari Montis Częſtochovienſis

# ARTICULUS 1mus.

Finis Fundationis: *Ante omnia diligatur DEUS, deinde proximus.* Sanctus Augustinus in Regula.

EN omnibus finem, ad quem præsens Fundatio & de hac participantes collimare debent: ut scilicet diligatur DEUS, & propter DEUM proximus.

Professores nempe sint anteeuntes & præcedentes virtute & eruditione, Discipuli verò cum his subsequentes ad hanc metam pro obtinendis coronis virtute certantes, atquè huic scopo sint ad dicti veluti Petræ suæ, in qua fundati sunt. Huic itaquè Petræ scilicet DEO ipsi *Petra. autem erat Christus.* allidantur parvuli, ut inde Beatitudo certa reportetur: *Beati qui allidunt parvulos suos ad Petram.* Hujus integræ Fundationis cardo &

 fun-

ſundamentum eſt dilectio DEI & proximi; proinde ante omnia ſtatuitur, ut diligatur DEUS & proximus. DEUS diligatur per ſtrenuam Profeſſorum operam in educatione juvenum, proximus per omnimodam diligentiam & virtutem juventutis noſtræ diligatur, perficiendo ſe ad utilitatem Eccleſiæ & ſuæ Patriæ. Ut autem ad hunc omnibus præfixum finem facilius perveniri poſſit, præelegitur omnibus huius fundationis Athletis propter honorem Sanctiſſimæ Trinitatis trinum Patrocinium, videlicet: Patrocinium Beatiſſimæ Virginis MARIÆ uti Matris Admirabilis, Patrocinium Sancti Michaelis Archangeli uti fortiſſimi Defenſoris, & Patrocinium Sancti Joſephi uti Protutoris præſtantiſſimi. Horum feſtivitates ſolemniſſime celebrabunt noſtræ Fundationis Alumni, ſcilicet: *Primam* Dominicâ tertiâ Novembris, *Alteram* die vigeſimâ nonâ Septembris, *Tertiam* die decimâ nonâ Martii, & Dominicâ tertiâ poſt Paſcha. Celebrabunt verò per ſacra ſe Communione refectionem, ardentiſſimamquè Devotionem. In Oratario ſolemnis Miſſa ijsdem diebûs celebrabitur ex Indulto Sanctiſſimi PII Sexti conceſſa, atquè per unum ex Alumnis ( aut ſi placebit ex Profeſſoribus ) habebitur ſermo, ſeu Exhortatio brevis præſertim ad Alu-

mnos

mnos, docendo illos, quomodo se tanto Patrocinio commendare & resignare debent, ut illud lucrari & obtinere possint, atquè huic devotioni & pietati anima Michaelis recommendabitur, ut juvetur.

# ARTICULUS II.

*Obligationes Domini Scholastici & Professorum.*

CUm à Sanctissimo PIO Sexto Pontifice maximo statutum & decretum sit, ut nostræ Congregationis Canonici regimen Collegii habeant, & Scholas doceant; perpendant igitur tum Dominus Scholasticus ceu Rector, tum Professores, ut sint forma sui etsi pusilli gregis, memores suæ regulæ, se fore: *Non potestate Dominante, sed charitate serviente felices.* Ideoquè Dominus Scholasticus à Reverendissimis Abbatibus pro tempore existentibus in Capitulo Tremesnensi viva voce de triennio in triennium instituendus cum suis Professoribus, quoniam per Decretum Capituli nostri in fundamento Constitutionum lati, habet sibi adjudicatum locum immediate post Dominum Suppriorem; in Collegio tamen erit primus ante omnes Professores, & superior,

rior; jam verò Professores in Monasterio & Ecclesia locum suæ vocationis habebunt, in Collegio verò suo, secundùm senium Classium suarum.

*Primus* itaquè id est Dominus Scholasticus Regimen sibi commissum habebit Collegii, simulquè Professor idem erit tum Theologiæ dogmatico Moralis, tum Philosophiæ scholasticæ, reiquè domesticæ, æconomicæ Professor, & Alumnorum sollicitam curam administrabit perpetuò, tanquam Pater & Tutor omnium, & Scholarum Præfectus.

*Secundus* Professor erit Rhetorices & Poëseos.

*Tertius* Syntaxeos Grammatices & Infimæ Classis. Et quamvis ob justas rationes licebit Domino Scholastico conducere etiam ex alio ordine personam idoneam ad tradendas pro se lectiones Philosophicas in adjutorium sibi, mensaquè ipsi communis cum cæteris Professoribus providebitur ex Fundationis massa, atquè tertia parte sui stipendij ipsum solarisare licebit, semper tamen reliquarum Scholarum Professores erunt perpetuò Canonici nostræ Congregationis. Subrogatus Professor loco Philosophiæ Scholæ (si dabitur sufficiens in Monasterio) poterit docere Rhetoricam ut potè Scholam difficiliorem. Ad instructionem privatam Alumno-

rum

rum & eorum inſpectionem continuam, ſovebitur perpetuò Director ſalariſandus & communiter vivens & manens; decentius erit, ſi fuerit Clericus ut competentibus moribus, modeſtiæ & doctrinæ Alumnorum invigilet, & Profeſſores adjuvet; hic verò debet eſſe morigerus, prudens, manſvetus, & exemplaris; cùm verò per experientiam jam ſatis probatum ſit, poſſe ſufficere redditus ultra omnes expenſas, & ſi pars aliqua ad exteræ lingvæ eruditionem impendatur pro Magiſtro prædictæ lingvæ Gallicæ, aut Germanicæ, proindè non intermittatur quarta prædictæ lingvæ Schola, foveaturquè Pædagogus alicujus ex his lingvis gnarus in noſtro Collegio, aut extra manens.

## ARTICULUS III.

### *Amictus Alumnorum.*

VEſtitus honeſtus & moderatus ſemper erit Alumnorum, providebiturquè ex redditibus Fundationis; per quem non modo veſtes, ſed & cætera veſtitui neceſſaria ad tegendum totum hominem requiſita intelliguntur. Pro quolibet Alumno pro anno impendatur in rem amictus florenorum Polonica-

nicalium centum (quod bene ſufficiet, probatum eſt) quinimò & pro veſtibus duorum Profeſſorum reſtare deberet. Veſtis Alumnorum ſit Clericalis, coloris violacei, cum nodulis & manicellis rubris, talaris, atquè cum Coleto Superior veſtis erit Surdut vulgò vocatum, & pallium pro frigore depellendo. Veſtis Clericalis eorum erit duplex: hyemalis ſcilicet ex panno, æſtivalis ex roſcia alias ex materia lanea; ulna panni pro haccè clericali veſte violacea erit florenorum ſeptem conſtans, ulna vero panni pro Surduto florenîs quatuor conſtabit; Roſciæ violaceæ conſtabit ulna etiam florenîs quatuor. Veſtes binæ prædictæ Clericales pro tribus Annis ſufficere ipſis debebunt, jam verò ſurdutus ſi citius lacerentur §. Pallia pro Annis tribus, quorum ulna florenîs quatuor conſtabit; Lineæ veſtis ſive camiſiarum ulna erit florenîs ſemiduobûs. Induſiorum carbaſi ulna floreno uno conſtare poterit. Reliqua prout neceſſitas poſtulaverit, providere tenebitur tempeſtivè Dominus Scholaſticus ex proventibus ſuæ Fundationis. Huc ſpectabit veſtium, calceorum, & cæterorum utenſilium reparatio & comparatio; attendetquè ſerio ne citò lacerentur. Quinimò ut veſtium & munditiei & integritati ſtudeant Alumni, curabit Dominus Scholaſticus.

ARTI-

# ARTICULUS IV.

## *Devotio Alumnorum.*

DEvotio Alumnorum ſit, ne minuat tempus ſtudijs impendendum; ideò aſſveſcant à ſomno excitari horâ quintâ de mane, hac hora vigilies, loti, & ornati cum Domino Scholaſtico aut ejus ſubalterno adibunt oratorium ſuum, ibiquè Exercitium Matutinum cum intentione diurna, & cum brevi meditatione peragent quotidie, datôquè ſignô adibunt in bono ordine Eccleſiam cum Profeſſore, aut Directore, ibidemquè adoratô & viſitatô Sanctiſſimô Sacramentô, inchoabunt ſine ulla intermiſſione Officium parvum Beatiſſimæ Virginis MARIÆ, præcinente illis Directore (ſi fuerit Clericus,) aut uno ex Profeſſoribus, ejuſdem officij Abſolutiones benedictiones, & Collectas canente, ſemperquè diligentiſſime obſervante, ut paulatim, lentè cum pauſis, expreſſe, attentiſſimè cum modeſtia ac pietate hoc penſum DEO ab ipſis debitum præſtetur quotidie, & perpetuò & irremiſibiliter ab Alumnis. Hoc Officium canetur juxta ſuum morem & juxta informationem Breviarij ſecundùm tempus ibidem diſpoſitum, à Matutino uſquè ad Nonam incluſivè, quo tempore à Domino Scholaſtico aut Profeſſore Miſſa ſtudioſorum

 Cele-

celebrabitur, cui intereſſe debebunt & reliqui ſtudioſi extra Collegium hoſpitia habentes. Una Miſſa omnî Sabbathó hæcce ſtudioſorum, & Officium ejuſdem diei prædictum reſervatur, ut offeratur pro anima Michaelis, reliquas ad ſuas intentiones celebrans abſolvet. Ut autem hoc Officium Miſſæ numquam intermittatur, juxta præſentem ordinationem conſcientia Domini Scholaſtici ſtrictiſſime obligatur. Cùm mos ſit in Adventu prædictum Officium poſt Roſarium propter impeditum tempus perſolvendi, & cùm ob nimium frigus etiam dividere ſoleant idem Officium, eidem mori & conſvetudini ut ſe conforment eſt neceſſe. Veſperas verò prædicti officij ſemper abſquè ulla intermiſſione finitîs ſcholîs pomeridianîs quotidie ante Veſperas chori canonici cum Hymno: *Ave maris Stella*, flexîs genibûs honorato, cantabunt cum ſuo Directore, aut Profeſſore concludente & inchoante. Ut verò cantus ipſorum ſit bonus & concors, ſemper Eccleſiæ noſtræ Cantor ad inſtitutionem in prædicto cantu adhibebitur juxta hanc jam introductam conſvetudinē. Tempore pauſarum in Eccleſia noſtra ordinabuntur à Domino Scholaſtico alij ex alijs ſcholis ſtudioſi ad decantandum per turnum horatim Pſalterium diurnum uſq; ad occaſum ſolis, ab occaſu verò ſolis incipiet Pſal-

terium

terium Nocturnum, quod pauperiores studiosi ex pensione seorsiva decantare perpetuo horatim tenebuntur; videlicet à Domino Scholastico eligentur tales cujusvis conditionis octo pauperes studiosi, quorum cuiquè annuatim solvet florenos Quinquaginta, & omni die duo ex ipsis juxta turnum de mensa Alumnorum alternatim sument portiones cum Alumnis communes, de hac pensione undenam provideatur, sat prolixe habetur in Erectione. Idem Psalterium, ut omni nocte sine ulla intermissione peragatur semperquè ad Matutinum canonicum duret, summe invigilabit Dominus Scholasticus, providebit candelas ex communi proventu, & ligna ex prædio pro commoditate psallentium & DEUM laudantiũ in Sacramento Altaris; animadvertetquoquè diligenter ne fraus aliqua, aut negligentia huic intentioni & obligationi contrarietur, & responsioni strictæ coram DEO subjaceatur.

Præterea Alumni tenebuntur juxta inductam consvetudinem in crastino Patrocinij Beatissimæ Virginis MARIÆ omnî Annô decantare unius Nocturni Officium defunctorum cum Laudibus, & Missa a Domino Scholastico aut ejus subalterno absolvendam decantare quôlibet annô pro anima Michaelis ex vi suæ Fundationis. Omnes reliqui

 studiosi

ſtudioſi quotidie finitîs ſcholîs cum ſuis Profeſſoribus adibunt Eccleſiam,& ibi viſitabunt & adorabunt Sanctiſſimum Sacramentum tam de mane, quàm à meridie. Omnî verò Sabbathô Litanijs de Beatiſſima Virgine MARIA in Eccleſia noſtra peragi ſolitis adeſſe omnes, & hîs finitîs Antiphonam: *Sub Tuum Præſidium.* cantare omnes devotè obligantur ſtudioſi.

Quotiescunquè publicæ adorationi Sanctiſſimum Sacramentum expoſitum fuerit, toties ſemper eidem,& in Proceſſionibus,& in Miſſis Solemnibus Alumni aſſiſtere tenebuntur more Clericorum jam bene uſitato. Poſt prandia & cænas Alumni adire tenebuntur ſuum Oratorium, ibiquè ſe ſuorum Protectorum Patrocinijs devotè commendabunt, triaquè Ave MARIA integra pro anima Michaelis devotè recitabunt; quæ prædicta mentione indigna anima, ut ſæpius orationibus reliquorum ſtudioſorum commendetur, enixe rogatur Dominus Scholaſticus & omnes. Tandem exercitium veſpertinum diurna exercitia ſubſequentur: poſt horam autẽ ſeptimam examine conſcientiæ peractô cum Litanijs de Beatiſſima Virgine MARIA, ſua quiſquè lectiſternia petet.

Omnia deniquè feſta ſolemniſſima Domini Noſtri JESU Chriſti, & Beatiſſimæ Virginis MA-

RIÆ

RIÆ,& ſuorum Protectorum ſpecialiter cum ardenti devotione obibunt, hiſq; tenebuntur confiteri, & ſacra communione refici. Confeſſioni Paſchali Alumnis aſſignatur dies Cænæ Domini, reliquis feſtum Septem Dolorum Beatiſſimæ Virginis MARIÆ.

His omnibus Devotionibus utiquè non prolixis & tædioſis, ut ſerio attentiſſime attendatur, obſecro Dominum Scholaſticum pro tempore exiſtentem, ne loco benedictionis ſperandæ, maledictio promereatur ab his, quorum curæ hæc Fundatio committitur.

## ARTICULUS V.

*Menſa Alumnorum.*

MEnſa Alumnorum ſemper debet eſſe ſufficiens & parſimonialis, communis & una cum Domino Scholaſtico, Profeſſoribus, & Directore, atquè cum Convictoribus, ſi conducerentur; ad quam ab Alumno ſecundum turnum legendum erit intelligibiliter de libris deſtinatis à Domino Scholaſtico: poſt lectionem ſolutò ſilentiò diſcurſus eruditioni juvenum ſervientes, absquè calumnijs & clamore promovebuntur moderati & utiles. Alumni quotidie habebunt in prandio portiones tres, in cæna duas,

una

una ſemper utroquè tempore Profeſſoribus, eaquè ſapidior ſuperaddi debebit. Ientacula etiam de cereviſia, & pane butyrato omnes habebunt ſufficientia; potus ſufficiens ad menſam, in ſiti tamen non denegetur etiam extra menſam; ſed præcavetur ne ultra ſepta Collegii expendatur, fieret enim injuria non levis Alumnis, ſi abſquè debita parſimonia Panis pauperum diſpendatur; Diebûs jejunij tot numero portiones habebunt quot ſupra ſunt exaratæ, aſt loco carnis piſces ſubminiſtrabuntur utriquè tempori, de leguminibus & oleribus in numero portionum intermiſceatur, ne carnis nimius uſus hebetet animos juveniles. In hoc animadvertendum, quod quamvis hic parſimonia ſumme commendetur, tamen et ſordida tenacitas,& nociva prodigalitas damnatur & ut nec nominetur in Collegio amandatur. Si Domino Scholaſtico acciderit conducere Convictores ad menſam Alumnorum, licebit: non tamen plures conducet quam duodecem, ne numerus eorum numerum Alumnorum excedat, illiquè communem paritatem inter ſe cum Alumnis omnino ſervent, quod omnino ad curam Domini Scholaſtici & prudens regimen ſpectabit, vigilabitquè, ne ob conductos Convictores ad menſam noſtri Alumni damnum aliquod patiantur, aut diminuatur

tur

tur Fundatio. Professores & Alumni in Festis Nativitatis, ResurrectionisDomini Nostri JESU Christi, Pentecosten, Assumptionis Beatissimæ Virginis MARIÆ, & Sancti Augustini, atquè Festis triplicis sui Patrocinii habebunt superadditas portiones, & vitriolum Vini quantum tenuitas permittit; ne autem in portionibus injuriam patiantur, & easdem in qualitate cum Convictoribus habeant portiones precatur, & summe committitur Domino Scholastico.

## ARTICULUS VI.

### *Cura infirmorum & sepultura mortuorum Alumnorum.*

POst tempestivam infirmi Professoris aut Alumni visitationem & infirmitatis notitiam, omnem curam spectantem ad commoditatem infirmi impendet Dominus Scholasticus; si necessarium videbitur, conducet medicum ad consulendum sanitati, aut Apothecarium, qui perpetuo eo fine habent sibi commissam Apothecam, ut præsto sint Professoribus, Alumnis, & Directori, infirmis, gratisquè & sua opera & medicinis inserviant.

Si tale consilium & medicina spem vitæ non concedent, inducatur infirmus ad optimam dispositi-

ſpoſitionem animæ ſuæ, & præmaturè Sacramentîs muniatur; hîs ita munitus actibûs amoris DEI & aliarum virtutum recreetur. Et ſi tunc eumdem mortalitate exui reſtabit, corpus defuncti honeſte deponi curabit Dominus Scholaſticus, efferriquè primo ad Oratorium antequam ſepulturæ mandetur; in oratorio ad feretrum Conalumni ſui defuncti Pſalterium cantabunt Alumni per turnum alternatim, & Dominus Scholaſticus providebit, ut præſente cadavere in oratorio abſolvantur Miſſæ Sacrificia pro defuncto, donec ſepeliatur. Adveniente verò tempore ſepulturæ illius, proceſſionaliter more Chriſtiano & pio ferent Alumni cadaver adjuvantibûs alijs ad Eccleſiam noſtram, huic Proceſſioni aſſiſtent præter omnium Claſſium ſtudioſos, etiam noſtræ Congregationis Canonici ex ſola charitate Chriſtiana, nec locum ſepulturæ gratuitæ in ſepulchro denegabunt; quinimo cum omni favore & amore in hac re procedere nitentur. Eadem viciſſim gratitudo ab Alumnis, noſtris Canonicis defunctis, gratis, & prompte ad ſua funera exhiberi debebit. In Eccleſia verò Noſtra abſolutô per Alumnos ſuô Nocturno defunctorum cum laudibus, & Miſsà ſuo more decantata ſolemni, (quam Dominus Scholaſticus, aut ab illo alius ſub-

roga-

rogatus abſolvet ) tandem more Chriſtiano, & communi deponetur, & ſepelietur Alumnus; tùm alius Alumnus loco defuncti admittendus eſt.

## ARTICULUS VII.

### *Suſceptio Alumnorum ad Fundationem, Eorumquè Dimiſſio.*

SUmme expoſtulo à ſuccedaneis meis Reverendiſſimis Abbatibus pro tempore exiſtentibus, ne aliquo tempore vacare Alumnatum patiantur, & numero ducenario ne aliquis deſit, uti Patronos & Collatores ex poſco; quinimò caſu vacationis loci ut ſuſcipiatur, & ſubrogetur numerum adimplens, dignabuntur annuere ut inſcribantur. Admittendi verò erunt.

1*mô*: Commendati à Reverendiſſimo Abbate pro tempore exiſtente.

2*dô*: Jlli erunt potiores, prioresquè, & admiſſibiliores qui de propinquitate aut nomine meo concurrent, aut Reverendiſſimi Abbatis pro tunc exiſtentis.

3*tiô*: Erunt Nobiles ex utroquè parente & legitime nati, de quo ex Libris Metrices teſtimonium perhibere debebunt.

4*tò*: Non ſint notabiliter in corpore defectuoſi, ſaniquè mente & corpore, nati ab octo Annis, non autem admitti debebunt undecem annos excedentes.

5*tò*: Spem in ſe præſeferant de ſuo futuro profectu, ſintquè pauperes, aliundè modo educationis habendæ carentes.

6*tò*: Sciant prima principia tàm literarum, quàm characteris.

7*mò*: Inſcribantur pro ſpatio ſex Annorum.

8*vò*: Habeant lectiſternia, induſia, mantilia, pectines, & alia propria, quæ ipſis per ſpatium integri ſexennij ſufficient.

9*nò*: Quivis ſuſcipiendus Alumnus importare tenebitur florenos quinquaginta pro integro ſexennio, aut ejus tutor, ſeu recommendans; idquè ad commune depoſitum ſub curà Domini Scholaſtici exiſtens.

10*mò*: Caſu quò ſi deeſſent Nobiles ad amplectendum Alumnatum, pro tùnc admiſſibiles ſint etiam ignobiles cum his obligationibus. Alumnus finito ſuo ſexennio ex Collegio, ſcholiſquè exiens, & ipſis valedicens, ſtatui ſuo convenientem aſſumet ex Fundatione veſtitum. Cui (ſi placuerit) dabitur prima conditio, vel Directoratus in Alumnatu; ſin ſecùs, cum literis patentibus, & recommendatione

pro

pro ſuo bono merito dimittetur; & alius admittetur.

## ARTICULUS VIII.

*Conformitas Profeſſorum cum Profeſſis, & uniformitas Alumnorum, Eorumquè Diſciplina.*

ABſit: quod nunquàm ſpero, aliqua in Profeſſoribus noſtri Collegij, & in eodem, commanentibus diffformitas in Religioſa obſervantia a noſtris Fratribus aliena, quinimò ſicut Dominus Scholaſticus, ita & Profeſſores ad eamdem obſervantiam in omni, quæ eſt in Monaſterio noſtro, adſtringi tenebuntur; quos, licet parva loci diſtantia, propter commodum & neceſſitatem Collegij aliquomodò diſgregat, eadem tamen ad iſta minimùm regularis Diſciplinæ obſervantia illos conjungit et obligat. Et quàmvis a Choro propter ſuum laborem voluimus illos eſſe liberos, non obſtat, quin ſint ejusdem virtutis, ac ſunt eorum Confratres. Invigilabit ſerio Dominus Scholaſticus, ne inter illos etiam negligentia in ſuo officio, & munere torpor, & acedia aliquem locum habeat. Divagari ultra ſalubres recreationes & ſolitas non permittet, negligentes in ſuis obligationibus charitativè & fraternè prius monebit, & ſi bene admoniti non ſe emen-

 darent

darent, tenebitur eos deferre Reverendiſſimo Abbati, uti Superiori; ut ſic omni malo præveniatur, quod DEUS ſua miſeratione avertat. Inter Alumnos ſumptô bonô exemplô a ſuis Profeſſoribus & Directore, eadem pietas, & obligationum ſuarum obſervantia, atque modeſtia, ut uberrime excreſcat, curabit Dominus Scholaſticus. In diſcolos & negligentes pro gravitate defectuum pænas varias minetur, & ſi neceſſitas exegerit illas exerceat. Pænæ itaquè Alumnorum erunt: privatio portionis, genuflexiones tempore refectionum, mortificatio per diſciplinam, catenæ tolerantia, ad ultimum diſcreta & moderata incarceratio. Pænæ aliorum ſtudentium juſtæ ſint pro qualitate defectuum, nè ſæviant tamen plagîs & ſi hîs aliquem punire neceſſitas exegerit, ultra ſeptem non liceat plures numerare; potiùs ſic puniti aliquoties, ſi incorrigibiles forent, ejiciantur ex Scholis, nè alios inficiant. Clauſura Collegij, more Monaſterii Noſtri, inviolabiliter ſervetur.

## ARTICULUS IX.

### *Familia domeſtica, & ratio Expenſarum.*

FAmilia ſolummodò neceſſaria; eaquè utilis, & accomoda exigentijs, tam in Collegio, quam in

Præ-

Prædio ſervanda ſit; ne gravetur pauper pauperum Fundatio numeroſitate inutilis Familiæ. Sit tamen illa, quæ conſervabitur, morigera, fidelis, & laborioſa; cujus Officium erit diſpenſare cibos, coquere, ligna parare, linteamina Alumnorum, & mappas menſæ lavare, Collegium verrere, & purgare, & omnem munditiem opere præſtare, cæteraquè obſequia tùm Profeſſoribus, tùm Alumnis præbere. Quam Familiam ſalariſabit Dominus Scholaſticus ex redditibus deſtinaſtis. Ex Proventibus, & eorum Expenſis, tùm remanentijs, omni triennio juxta morem ſolitum & leges Noſtræ Congregationis, ſub tempus Generalis Capituli rationem juſtam reddere tenebitur Dominus Scholaſticus, ſivè ipſi Reverendiſſimo Abbati pro tempore exiſtenti, ſivè ab ipſo Delegatis Commiſſarijs de gremio Capituli. Nec quidquàm ex Remanentijs & proventibus expendere poterit in quidquàm extraordinarium, abſquè conſilio, & expreſſo conſenſu Reverendiſſimi Abbatis pro tempore exiſtentis. Ex his Proventibus quantùm cuiquè tribuendum erit, tùm Domino Scholaſtico, tùm Profeſſoribus, Directori, & alijs, conſcriptum in Actis Capituli videatur ad finem Ordinationis. Ibidem.

ARTI-

# ARTICULUS X.

## *Ordinatio Scholarum, & Professorum, aliorumquè.*

UT quàm optimo ordine Scholarum nostrarum Institutum peragatur, ad meliorem studentium profectum pernecessarium esse censetur, cuivis Professori tempus docendi, & studendi determinare. Idcircò Domini Scholastici officium erit, ut non modò soli suæ Scholæ, verùm & alijs Classibus (num rite & exactè in ijs Cathedræ administrantur) attendere, atquè ut suo ordine statoquè tempore exactissime peragantur, invigilare. Itaquè Professores latinarum Scholarum quotidiè dabunt operam in docendo a mane horis duabûs, tertiam horam concedent Magistro Scholæ linguæ exteræ, suæquè lectioni Theologicæ, aut Philosophicæ separatim impendendæ, eamdem horam reservabunt. Sic similiter a meridie. Sed eggressuri ad suas lectiones relinquent Scholastica exercitia Discipulis, qui prædictis lingvis operam non essent daturi. Jam verò Dominus Scholasticus utriquè suæ scientiæ satisfaciat, si sibi subalternum non providebit Adjutorem. Poterit enim de mane unam tradere suam scientiam sua hora, alteram scientiam edocere à meridie. Præmonentur, primò Dominus Scholasticus

ut omni

ut omni feriâ ſextâ caſuum conſcientiæ reſolutiones cum ſuis Diſcipulis, præſertim junioribus Canonicis noſtris peragat, ſi hæc dies aliquo impedimento non eſſet obſtricta. Diſcetpationes Philoſophicas uno Trimeſtri in Annô exhibere conabitur imprætermiſſe. 2*dò*: Profeſſores ſuos Diſcipulos pro Concertationibus ſuo trimeſtri parabunt, ita ut unum trimeſtre ſit Profeſſoris Philoſophiæ, alterum Profeſſoris Rhetorices, tertium Profeſſoris Grammatices, cæterarumqè Claſſium. Ultimò tandem quartuali vacationibus propinquô, examen generale Dominus Scholaſticus ab omnibus Scholis exiget in ordine ad futuram ſtudioſorum promotionem ad Superiores Claſſes. Recreatio ordinaria noſtris ſtudioſis ſemel in ſeptimana concedatur. Vacationes incipient ultimîs diebûs Julij menſis; poſt quas reaſſumentur Scholæ die ſeptima Septembris, omnesquè jam inveniri debebunt pro feſto Nativitatis Beatiſſimæ Virginis MARIÆ. Si quis pro hoc tempore non redierit à vacationibus idē promotione ſua, quam in examine promeruit, ad tempus à Domino Scholaſtico determinandum privabitur, dempta juſta ratione cum excuſante & ſalvante.

ARTI-

## ARTICULUS XI.

*Præcedentia Alumnorum, reliquorumq́ Studioſorum*

NE in publicis Proceſſionibus aliquis diſordo eveniat, ſtatuitur: ut ante Crucem Proceſſionalem Cleri noſtri Canonici immediate Director cum ſuis Alumnis modeſte ſe gerentibus incedant ſuô bonô ordine, quorum modeſtiæ & geſtibus attendet diligenter, Alumnos anteibunt reliquæ Scholæ juxta ſuas Claſſes, & ſuum ſenium, quos Civitatenſes incolæ antecedent. Hæc talis conſvetudo cum jam ſit introducta, ideoquè ſemper erit ſervanda. Intelligendum hoc eſt de omnibus publicis Proceſſionibus, in Solemnitate Sacratiſſimi Corporis Chriſti, diebus Rogationum, & alijs, quibus noſtrarum Scholarum ſtudioſi adeſſe tenebuntur.

## ARTICULUS XII.

*Ordo cæterarum obligationum.*

*Primô.* DIebus Feſtis præſertim Dominicis tàm Profeſſores, quàm Director Clericus ſuos parvulos imbuere dogmatibûs Fidei, Cathechiſmô, & Doctrinîs Spiritualibûs inſtruere tenebuntur, & ſeriò tàm Sancto, & meritorio labòri incumbent,

& ne

& ne exinde tamen ſe ſubducant Concionibus, & Cathechiſmis in Eccleſia noſtra peragi ſolitis, ad Dominū Scholaſticum tempus non impeditum eligere huic exercitationi Chriſtianæ pertinebit.

*2do.* Noſtræ Congregationis Canonici præſtò erunt ad excipiendas ab Alumnis,cæterisquè ſtudioſis Confeſſiones,ſicuti & Profeſſores præſertim Præsbyteri & approbati eadem viciſſim obſequia Parochianis, cæterisquè Chriſtianis, diebûs à Scholis non impeditîs præſtabunt, ut per eamdē viciſſitudinem præſtetur juvamen in hoc labore noſtris Præsbyteris, & ſalvetur major confidentia in noſtris ſtudioſis, & libertas ſibi eligendi Confeſſarios.

*3tio* Alumnis pro Feſtis & vacationibus à ſuo Officio, quod perſolvere tenentur ex obligatione Fundationis ſubſtantiali, abſentari perpetuò ad decurſum ſui ſexennij inhibetur. Si tamen gravis ratio eos diverti omninò cogeret, protunc à Reverendiſſimo Abbate licentia obtineri debebit, cui ſemper pro Alumnis præſertim, uti primo Tutori, reſervatur.

*4to.* Si Alumnos ad recreationes pergere ratio ſtimulaverit, non aliter hac fruentur, niſi licentiati, Directori ſibiquè aſſociati cum omni modeſtia, & maturitate.

*5to*: Alumni dare debebunt operam lingvæ Germanicæ aut Gallicæ, quotiescumquè fovebuntur prædictarum lingvarum Magistri, etiamsi sint conducti propter Convictores; non tamen aliquid prætendetur ex mensa, ex redditibus Alumnorum pro prædictis Pædagogis. Hæc solummodò saltim sit à prædictis Convictoribus Fundationi gratitudo.

*6to*: In Devotionibus solitis quadraginta horarum consveta, modestaquè, & pia genuflexio ante expositum Sanctissimum Sacramentum per turnum à Domino Scholastico ordinari debebit; à die verò Parasceves usquè ad tempus Resurrectionis, in Sepulchro quiescenti Salvatori Alumni per turnum Psalterium die noctequè cantabunt induti superpelliceîs, quod idem faciendum perpetuò statuitur etiam intra Octavam Sacratissimi Corporis Domini Nostri JESU Christi ab Alumnis sub tempus expositionis, a reliquis autem Classibus fiat scilicet sub tempus pausarũ ab actuExpositionis,usquè ad tempus depositionis ejusdem ad Tabernaculum.

*7mo*: Alumni quotiescumquè ad Sacramentum Eucharistiæ accedent, semper simul, induti semper suîs superpelliceîs,cum modestia & omnimoda pietate, & optimè dispositi à Domino Scholastico, de mensa cælesti participare nitantur, ad quam

imme-

immediate poſt Clerum Noſtrum accedent.

*8vô*: In omnibûs Alumnorum progreſſibûs, ne unquam offendatur DEUS, ( qui ut ſuper omnia glorificetur ) diligentiſſime omnes ſivè Dominus Scholaſticus, ſivè Profeſſores, ſivè Director, ſivè deniquè quivis ſenior, & quidem primi ex graviſſima, cæteriquè ex debita charitate invigilare perpetuo curabunt; primi quidem diſcolos jus puniendi & à malo coercendi, cæteri jus deferendi inevitabile habebunt. Quoniam verò hujus Fundationis duo ſunt fundamenta & cardines, ſcilicet pietas & ſcientia, idcircò ſi operà & ſollicitudo non impenderetur, quin his baſibus innitatur, procul dubiò opus rueret, DEUS ſumme offenderetur, & infallibilis reſtitutio tàm magni damni DEO & proximo per negligentiam & conniventiam illati maneret omnes, quorum curæ & ſollicitudini opus hoc, & animæ tenellæ commendatæ erunt in ævum.

Reſtat tandem ad te ſupplicari ( quisquis futurus ſis) Reverendiſſime Abbas (de cujus prudentia, pietate, & juſtitia confido in Domino) ut hanc novellā recenter plantatā vineā Tibi ad melius excolendum conceſſam jure devolutivò, uti perpetuo

Tuto-

Tutori ſuo, Tua protectione, benevolentia, & juſtitia foveas, *Tibi*, ut verbis Prophetæ utar, *derelictus est pauper, Orphano Tu eris Adiutor.* Ut his præſtans opem paternam & miſerationem, (quod tibi ex corde præcor) à ſupremo Remuneratore promerearis miſericordiam. Opus hoc Tibi derelictum & ſi temporum varietate & injuria tùm temporali, tùm ſpirituali ruinæ ſubjacere adverteris (quod haud ſpero) illicò precor innovationi ejuſdem inſtes, ſciens te à DEO *Electum*, ut quod malum adverteris, *evellas & deſtruas*, quod verò bonum, ut *ædifices & plantes.*

Obſecro vos hujus Congregationis Fratres, ſeu dicam Cætus immortalis, ne ſinatis hunc Puſillum gregem aut diminui, aut diſſipari unquam, vobis enim uti perpetuis Tutoribus commiſſus eſt; proindequè ſemper memoriâ retinete, ne hunc de manu veſtra requirat ſummus Paſtor DEUS omnipotens, quinimò cum vobis (ut experti eſtis) id ſit utile & decorum, Eccleſiæquè veſtræ conveniens, ſatagite proinde precor, ut fructus hinc veſter ſit æviternus & conſtans. Obſecro vos verbîs Apoſtoli pro Filio ſpirituali Oneſimo ad Philemonem in ſingulari directîs. *Obſecro inquam pro meis Filijs, qui licet vobis inutiles fuerunt, nunc verò & mihi*

*& vobis*

*& vobis utiles ſunt; vos autem illos ut mea viſcera ſuſcipite, ſi autem aliquid nocuerunt, hoc mihi imputate.* Hortor ſingulos in Domino, quibus hujus gregis demandabitut cura & ſollicitudo, pro tempore & in perpetuum ſatagite, ut veſtrâ operâ, ſummo DEO Laus, Beatiſſimæ Virgini MARIÆ honor, Eccleſiæ decus, Patriæ obſequium & utilitas, Religioni noſtræ ornamentum, proximo charitas, omnibus ſtudentibus quàm optimus profectus creſcat continuò, & in æternum floreſcat. Hæc certò evenient, ſi veſtrum omnium vigilantia, omnibus præſtò ſit futura.

Teſtor hæc omnia à DEO facta eſſe, & DEI propria eſſe, atquè ut firma & immobilia in perpetuum ſint, ſolius DEI voluntatis eſſe, eidemquè voluntati, Gloriæ, & Honori æviternè adſcripta, ſubſcribo manu mea.

ALU-

# A L U M N I

*Collegii Nobilium Tremeſnenſis, Canonicorum Regul: Lateranenſium, ab Jlluſtriſſimo Reverendiſſimo DnoDno: MICHAELE* Kościeſza *KOSMOWSKI Abbate Loci, conſtructi & dotati.*

Michaël, Valentinus, Franciſcus, & Nepomucenus Kruſzewſcy, Antonii & Magdalenæ, *de Koſmowſkie*, Filii.

Stanislaus Koſtka Więckowſki, Gabrielis Filius.

Joſephus Koſzutſki, Stanislai & Agnetis Ubyſzowna Filius.

Cajetanus Kownacki, Feliciani & Barbaræ Dobroſielſka Filius.

Andreas Swiętochowſki, Jgnatii & Febroniæ Konarſka Filius.

Andreas Godurowſki, Stephani & Franciſcæ Liſſowſka Filius.

Jgnatius Malczewſki, Martini & Nepomucenæ Wilſzonowna Filius.

Stanislaus Koſtka Kurczewſki, Joſephi & Mariannæ Mirucka Filius.

Franciſcus Koſzutſki, Adami & Franciſcæ Kołaczkowſka Filius.

Adal-

Adalbertus Jaſinſki, Pauli & Franciſcæ Kościewſka Filius.

Antonius Potocki, Laurentii & Agnetis Chwaliſzewſka Filius.

Michaël Konopka, Valentini Filius.

Joſephus Strażyc, Franciſci & Mariannæ Zaiączkowna Filius.

*Ubeſpieczenie Fundacyi Szkoł y Konwiktu nowego w Trzemeßnie. Konſtytucya* 1775. *Tom.* 1. *fol:* 134.

ZApatruiąc ſię na chwalebne y pożyteczne Kościołowi y Oyczyznie dzieło, przez Wielmożnego MICHAŁA KOSMOWSKIEGO Opata Klauſtralnego Trzemeſzyńſkiego, dla edukacyi dwunaſtu z Szlachetney Młodzi Narodowey Alumnow, z Konwiktem y Szkołami w Mieście Trzemeſznie, przy Opactwie y Kościele, nowo uſtanowione, y dochodem przyzwoitym opatrzone, pomnienioną Fundacyą mocą Seymu tego zupełnie ſtwierdzamy.

Adalbertus Jaſiński, Pauli & Franciſcae Kuliczewſka Filius.

Antonius Porecki, Laurentii & Agnetis Chwaliszewſkae Filius.

Michael Kaszecki, Valentini Filius.

Joſephus Strzyz, Ignatii & Mariannae Zaleczkowa Filius.

---

*Uſtánowienie Fundacyi Szkoł y Konwiktu nowego w Trzemeſznie. Konſtytucya 1775. Tom. 1. fol. 134.*

Zapatruiąc ſię na chwalebne y pożyteczne Kościołowi y Oyczyźnie dzieło, przez Wielmożnego MICHAŁA KOSMOWSKIEGO Opata Klaſztoru tego Trzemeſzyńſkiego dla edukacyi ćwiczenia z Szlacheckiey Młodzi Narodowey, y Alumnow, z Konwiktem y Szkołami w Mieście Trzemeſznie, przy Opactwie y Kościele, nowo wyſtawione, y dochodem przyzwoitym opatrzone, pomienioną Fundacyą mocą Seymu tego zupełnie aprobuiemy.